

# SYLLOGE OPUSCULORUM SELECTORUM

AD PRAXIM PRAECIPUE MEDICAM  
SPECTANTIUM

*In Auditorum commodum collegit,  
annotationibus hinc inde auxit, & recudi  
curavit*

C I V I S

VALERIANUS ALOYSIUS BRERA M. D.

In Ticinensi Archigymnasio Therapiae Specialis, &  
Clinices Professor Publ. Subst., Legionis Nationalis  
Ticinensis Chirurgus Supremus, Academiarum Medico-  
Chirurgicae Iosephinae Vindobonensis, Scientiarum, &  
Litterarum Mantuanae, Medico-Chirurgico-Pharmaceut.  
Bruxellensis, Georgophilorum Florentinae, Societatum  
Artis Obstetriciae Amantium, Physicae, & Scientiarum  
Goettingensium, Naturae Curiosorum Berolinensis, &  
Ienensis &c. Sodalis.

VOL. I.

---

*Cum Tabula aenea.*

---

TICINI ANNO I. REIP. CISALPINAE ( 1797. )

---

APUD HAEREDES PETRI GALEATHII.

LLII.  
BER-  
opi-  
atque  
e cu-  
serva-  
ffem.  
  
ni I,  
970).

OPUSCULUM I.

D E

*Vi vitali sanguini neganda; vita autem  
propria solidis quibusdam corporis  
humani partibus adserenda*

CURAE ITERATAE

JOANN. FRIDERICI BLUMENBACH

M. D.

IN ACAD. GOETTINGENSI MEDIC. PROF. P. O.  
MAGNAE BRITAN. R. A CONSIL. AUL. ETC.

**Q**uanquam multa sint, ad ipsas artes proprie non  
pertinentia, tamen eas adiuvant excitando ar-  
tificis ingenium. Itaque ista quoque naturae  
rerum contemplatio quamvis non faciat medi-  
cum, aptiorem tamen medicinae reddit. Pro-  
fecto verisimile est, & HIPPOCRATEM  
& ERASISTRATUM & quicumque alii,  
non contenti febres & ulcera agitare, rerum  
quoque naturam ex aliqua parte scrutati sunt,  
non ideo quidem medicos fuisse, verum ideo  
quoque maiores medicos extitisse.

CORN. CELSUS L. I. Praef.

\* \* \*

### P R A E F A T I O.

**Q**uae de singularium quarundam corporis humani partium *vita propria* tum alias, tum praesertim in Institutionibus Physiologicis a me disputata sunt, uti plurium virorum egregie physiologice doctorum suffragium, ita aliorum nonnullorum censuram tulerunt. Eminent in his postremis duum virorum Italorum nomina, AGLIETTI (*a*) inquam, & GALLINI (*b*), Medicorum celeberrimorum: quorum maxime huic vitam istam propriam brevi manu ad qualitates occultas referre placuit.

Quae quidem cum legerem, neque miratus sum, neque indignatus.

A z

(*a*) In Giornale per servire alla Storia ragionata della Medicina di questo secolo. T. VI.

(*b*) V. Ei. Saggio d' Osservazioni concernenti li nuovi progressi della Fisica del corpo umano.

Haud insuetam enim esse eam loquendi aut comparandi formulam quibusdam Italis physiologis, quando de aliorum circa vires vitales laboribus iudicium ferunt, pridem normam; cum vel ipsius HALLERI de irritabilitate sententia itidem a binis Italis, iisque non infimi subsellii physiologis, Io. Bapt. BIANCHI & Io. Bapt. FE' expressis verbis qualitatibus occultis accensa fuerit (a).

Immo vero recte & vere eos loquutos esse, lubens concedo, dummodo occultarum qualitatum vocibus eo sensu usi fuerint, quo unice has de quibus agimus virium vitalium species iisdem appellari posse sanus quisque & doctus & aequus fatebitur, ut scilicet determinationem aliquam corporis notet, cuius ratio sufficiens ex partium componentium indole, structura, & mechanismo reddi a nobis nequeat (b). Id solummodo tunc non capio, quomodo tantum vitam propriam aut irritabilitatem eo referre potuerint, cum me quidem, cum aliis candidis naturae cultoribus, in ea opinione semper fuisse profitear, quicquid est virium vitalium, quod nempe caussas

(a) V. Opuscoli di verj autori sulla irritabilità Halleriana, raccolti da Giac. Bart. FABRI T. II.

(b) V. HOLLMANNI primae linæ philosophiae naturalis.

& naturam earum spectat, si quas unquam, in universum pro longe maxime occultissimis habendas esse (a).

Eidem doctae ignorantiae tribuendae tum multifariae & mirifice ab invicem differentes notiones & definitiones, quas de vi vitali & ipsa vita exhibuerunt physiologi; tum vero infiniti eorum dissensus circa sedem vitalitatis, num v. g. unice solida corporis humani eadem praedita sint, an quoque fluida; & posito hoc, num tantum sanguini insit, an vero quoque reliquis humoribus; quod vero solida attinet, cuinam eorum parti constitutivae proxime inhaereat, num v. g. glutini? item, num omnibus corporis nostri solidis conveniat, nec ne? porro, num unica saltem sit vitalitatis species, numve plures ab invicem distinctae vires, vitalium communi nomine comprehensae? &

## A 3

(a) *Vis actuosa, s. impetum faciens, s. sensilitas, s. irritabilitas, s. vitalis dicta, natura sua non cognoscitur.* Fr. BERN. ALBINUS.

Aliquid, quod pono incognitum, in corporibus viventibus &c. Io. De GORTER. Life is a property we do not understand. Io. HUNTER. C'est une ignorance bien profonde que celle où nous sommes, de la nature intime ou de l'Essence des diverses forces repannées dans l'Univers, & en particulier de celles qui constituent le vie dans le végétal & dans l'animal. C. BONNET.

Similes aliorum confessiones citavi in L. über den Bildungstrieb. ed. 3. (del Niso formativo).

quae sunt id genus problematicae questiones aliae, nimis sane aperte demonstrantes, quam occultae adhuc lateant, tanquam in DEMOCRITI puteo, qualitates ipsarum de quibus agimus virium vitalium.

Minime vero obscuritas ista, qua haec summae dignitatis doctrina adhuc premitur, quenquam absterret veri cupidum, quin diversissimas hypotheses super quæstionibus istis formatas, ponderet: iis autem, quae ipsi præ reliquis rerum naturæ eiusque phænomenis consentanea videatur, tanquam verisimillimis calculum suum adiiciat, & quae ipsi tum observando, tum meditando ad illustrationem eorum facientia occurrerunt, suo iure liceat defendere. Qua quidem licentia & ego utar, & quaedam tum de vitalitate putativa sanguinis, tum de vita propria in quibusdam corporis humani organis, ut mihi quidem videtur, haud inficianda, proponam. Quæ tamen (ut summi HARVÆI verba quodammodo mea faciam) a me super hac re dicentur, non ita accipi velim, quasi ea e tripode prolata existimem, aut aliorum omnium suffragia extorquere cupiam: sed libertatem illam, quam aliis libenter concedimus, nobis etiam iure merito poscimus; ut, quae in obscuris rebus verisimilia videntur, ita offerre liceat, ut, quod CICERO ait, refellere sine pertinacia & refelli sine iracundia parati simus.

## I.

*De vi vitali sanguini deneganda.*

**U**T argumentum de vi vitali sanguinis, antea iam a me singulari libello tractatum, recognoscerem, praeter alia in primis me movit classicum, quod nuper ad manus venit, desideratissimi Io. HUNTER de sanguine opus posthumum (*a*), cuius non exigua pars in vindicanda sanguini vitalitate versatur. Operae pretium itaque duxi, intactis iis, quae iam ante octennium super ea re a me dicta sunt, principalia ex iis enarrare, quae me ab eo inde tempore magis magisque in ea, quam tum defendi, sententia ultro confirmarunt.

A priori ergo quod aiunt, nullam in universum patere rationem, quidni & fluida vitalitate praedita esse possint, id quidem eo lubentius concedo, quo magis ipsae de fluiditatis essentia notiones relativae & ambiguæ videantur; quodsi v. g. fugacissimos mucores

A 4

---

(*a*) A treatise on the Blood, inflammation and gunshot wounds. London 1794 4.

similiaque vegetabilia humidissima & tenerissima cum tenacibus resinis compares, aut pulli in ovo recenter incubato prima rudimenta gelatinosa, immo vero & in ovo infocundo cicatriculam (a) cum picea amurca, quae in folliculis moschi aut castorei secernitur. Ita & cruris globuli quod soliditatem attinet vix ac ne vix quidem tot animalculis infusoriis cedere videntur: et si neminem unquam vel ex strenuissimis vitalitatis sanguinis defensoribus eam ob speciem aliquam soliditatis istos ipsos globulos vivos dicturum aut cum vermiculis quos diximus comparaturum confidimus, cum non nisi inactuose & singulatione

(a) Hanc enim cicatriculam aequa membranas peculiares in ovo conspicuas, pro solidis, & quidem in recenti ovo, etiamsi cynosurum fuerit, pro solidis aliquamdiu vitalitate quadam praeditis, habendam esse puto; quod sane nemini absonum videbitur, qui recentis ovi interioreni fabricam subtilius scrutatus membranas eius cum similibus simplicissimorum animalium, v. g. cum vesiculoso sacco vermium ex hydatidum genere comparavit. In primis vero illud memorabile, quod neglexisse videntur qui ovo nuper ad vitalitatem sanguinis demonstrandam usi sunt, et si iam a magno HARVÆO annotatum fuit, putridam in ovo corruptionem in ipso cicatriculae loco intipere, documento, tamdiu solum integros manere ovi suos quamdiu solidis quae diximus vitalitas inest, quae quidem in cynosuris ovis minor & fugacior quam in foecundis, quod ipsis unice a matre absque masculi seminis contagio vita ista minima communicata fuerit.

reliquae sanguinis massae eos innatae autopsia doceamur.

At vero sanguineum fluentum materiem tamen continere contendunt, ex qua omne solidum vivum nutriatur. Quam parum autem roboris insit eiusmodi ratiocinio, vel hyacinthi me monent, quos, dum haec scribo, ante oculos habeo, laete iam videntes, et si bulbi eorum a pluribus retro generationibus unice aquae fontanae superficie impositi sint; quod quidem aqueum elementum itidem materiem plantae suppeditare lubens do, et si nunquam mihi persuaderi patiar, ideo & vitalitatem ipsam eidem fontanae aquae inhaerere.

Requiritur quidem humiditas in solido vivo, ut vitalitatem suam actu exerere possit. Tantum vero abesse, ut humidum illud ipsum vitalitate praeditum esse debeat, notissimis exemplis viventium ex utroque regno organicorum corporum docemur, quibus mera aqua eo scopo sufficit, immo quae deficiente ea, exsucca quidem & exsiccata omnis vitae orba & expertia videntur, attamen vitale principium eatenus conservarunt, ut, aqua tantum denuo irrigata, reviviscant, & functiones oeconomiae suae organicae denuo continentur.

Idem testantur semina plantarum, quae, et si per integrâ seculâ sicca servata fuerint,

nihilominus principium vitale ita retinuerunt intemeratum, ut postmodo terrae gremio commissa, rite germinarint (a). His ergo vitale principium tenacissimum & quod & in excessu corpusculo alto somno sopitum, simplis aquae stimuli accessu denuo excitari potest.

(a) V. Generosi & doctissimi viri de St. SIMON egregium opus, *des Iacintes*. It. SWIETENII Coment. T. IV. capite de podagra.

Non solum propriae speciei vitale principium plantarum semina retinent, verum parentum imaginem reviviscunt; quin immo (quod alia occasione notavi vide meum *Programma de vitae vegetabilis ac animalis analogia*. Ticini 1796. 8.<sup>o</sup> pag. 18.), quum ex asino & equa, aut ex ea & asino, mulus seu hybridum naseitur animal, quod dissimile quidem in toto est parentibus, & aliquid a matre, & aliquid a patre tantummodo accipit; sic etiam plantae hybridae ex utraque specie plantarum parentum aliquid peculiare retinent. Semina collecta *Nicotianae rusticæ*, cuius pistillum a polline *Nicotianae panniculatae* conspergebatur, nata, *Nicotianam* producebant hybridam, quae nec rusticæ, nec panniculatae similis erat. *Nicotiana* enim *rustica* gaudet foliis ovatis, & corolla brevi virido-lutea; e contra *Nicotiana panniculata* foliis instruitur lanceolatis, corolla longiori, luteo-viridi, & caule longissimo: *Nicotiana* vero *hybrida* in omnibus hisce partibus medium tenebat. Huiusmodi plantarum hybridatio etiam in aliis vegetabilibus contingit. — Animalium adinstar plantæ monstra quoque producunt, quae ex nisu formativo erroneo, ut in illis, non solum, verum etiam a telluris calore, frigore, & climatis natura, ab humi cultura, ab insectis, aliisque caussis ignotis pendere videntur.

BRERA.

Perfectioribus contra animantibus, ut vulgo vocantur, vitalitas maxime mobilis (*a*), & quae humore stimulante longe magis compositae indolis, sanguine nempe, indiget. Attamen neque ratio, neque experientia istum ipsum humorem, et si magis compositum, reapse vitalitate praeditum esse, demonstrant. Immo vero si a simplicissimis corporibus organicis per animalium exsanguium (ut antiquitus appellabantur) ordines progrediaris, & in his praesertim ea cogites animantia, quae, ut tot erucae, omni systemate arterioso aut venoso plane destituuntur, hincque ad frigidi, sed iam rubri sanguinis classes, demumque ad ipsa calida pergas, nullum in ea scala terminum figere licebit, ubi primum vitalitas humoris, animale solidum vivum irrorantis, sive

---

(*a*) In organicorum entium ordine convenienter pleraque telluris corpora, sed diverso modo a generaliori recedente varia se habent ita, ut miras inde exceptiones functionumque modificationes nostri aevi magnorum Observatorum, uti celeberrimorum BRUNONIS, MOSCATI, RASORI, FRANKII, WEIKARDII, BLUMENBACHII, DARWINII, REIL, BRANDIS, HUFELANDII industria edocti simus. Different hinc corpora viva ab effectu communi virum excitantium, & incitabilitatis gradu, in his maioribus, sublimioribus, & perfectissimis; in illis minoribus, debilioribus, & pene confusis. Ad primam classem animalia, ad alteram vegetabilia pertinere videtur. BRERA.

a priori requiratur, sive observatione demon-  
strabilis fiat.

Verum ad incorruptibilem sanguinis in-  
tegritatem provocant, qua per omnem vitam  
intemeratus perennet, quamque propriae eius  
vitalitati tribuendam, hancque ipsam exinde  
demonstrandam censem.

Candide profiteor, me vim huius in de-  
monstrando circuli, ad sanguinis vim vitalem  
probandum, omnium minime percepisse; cum  
mihi quidem ipsa ea sanguinis in corpore  
vivo integratatis multo facilius & simplicius  
ex perpetuis vicissitudinibus explicanda videa-  
tur, quas partes eius constitutiae patiuntur.  
Ab una parte recens chylus aliaque absorpta  
ad sanguinem accendentia; ab altera nutritius  
succus aliquique humores secretione ab eo sub-  
tracti. Omnium maxime vero continua ele-  
mentorum eius principalium permutatio, ope  
phlogistici ut quondam audiebat, proceffus:  
quae, quanti momenti sit, vel unica respira-  
tionis functio facile docet ( ut consentientia  
organa integumenta scil. communia & tubum  
intestinalem taceam ), quae quavis inspiratione  
novum oxygenii haustum in pulmonibus ad-  
miscet sanguineae massae, quavis hora ad mi-  
nimum vicefies vivos istos folles perfluent.

Denique & hoc pro vitalitate sanguinis  
argumentum in medium proferunt, quod pla-

stica vi gaudeat, dum lymphatica eius pars in solidas cruitas coaguletur.

Quae ad hoc respondendum habeam, ii, quorum interest & qui rem serio agunt, tum in priore illa commentatione *de vi vitali sanguinis*, tum in libello *de nisu formativo*, maximam partem iam exposita reperient, facileque intelligent, ipsissimam eam ob causam nisus formativi vocibus me usum esse, quod vim denotet, ab ea probissime distinguendam, quam veteres vago vis plasticae nomine appellantur (a).

Plasticam equidem vim, si nudam vocem saltim species, utique in coagulo cruitae pleuriticae, ut vulgo vocatur, agnosco; non maiori autem ratione illud coagulum vi vitali sanguinis tribuendum esse censeo, quam si quis filicis Aegyptiaci formam, itidem coagulatione ortam, nescio cui vitalitati liquoris

(a) *Nisus formativus* BLUMENBACHII nil aliud est, quam vis inhaerens & connata corporibus organicis vivis peculiariter, & quamdiu hi vivunt, perpetuo activa & efficax, statutam ipsis & destinatam formam generationis negotio primo induendi, nutritionis posthac functione perpetuo conservandi, & si forte aliqua pars motileetur, quantum fieri potest, ope reproductionis iterum restituendi (Vide Auctoris tractatum germanico sermone conscriptum *de Nisu formativo*, aut eiusdem *Institutiones Physiologicas* elapso anno 1796. iterum typis Goettingensibus editas. BRERA.

filicei tribuere velit. Nisi forte cum MAZINO, strenuo sub initium huius seculi iatromathematico, ipsam foetus formationem ad crystallisationem, ut vocant, referre ipsi placuerit.

*Nisus* ergo appellatione eo fine usus sum, ut ipso eo verbo statim vitalem energiam denotem, cuius efficaciam in triplici ordinis phaenomenis formativis oeconomiae organicae, *generationis* scilicet, tum *nutritionis*, denique vero *reproductionis*, ulterius indagavi.

Gaudeo tum summos physiologos, tum acutissimos philosophos, e KANTIANA praesertim schola, mentem meam non solum exactissime cepisse, verum & doctrinae de nisu formativo calculum suum adiecisse (a).

---

(a) Unicuique corpori animali materiae alienigenae additio, una cum ipsius materiae adiunctae conformatio idonea, peculiarem eiusdem materiae animalis crystallisationem constituere & mihi & illustri REIL (*Archiv für die Physiologie Pars I. pag. 67.*) videtur. Existimat celeberrimus DARWIN (*Zoonomie Pars II. Sect. XXXVII.*), corporum organicorum incrementum, ac conservationem, non per affinitatis leges contingere, verum per animales *appetitus* evenire. Unaquaeque peculiaris pars, inquit, propriam, peculiarem possidet *appetitus* vim, cuius ope a sanguine partes ipsi-met homogeneas separare valet. Haec vis, inquam, non ne cum BLUMENBACHII nostri *nisu formativo* convenit? Caeterum KANTIANAE oportet incumbere philosophiae, ut magis magisque nunc expoliti veritas elucceat; sed alio loco hoc de argumento differam. BRERA.

Qui contra vim plasticam pro synonymo nisus formativi venditant, ii aut huic a meo alienissimum sensum tacite subiiciunt; aut vice versa auctoribus doctrinae de vi plasticā ea tribuunt, immo obtrudunt quasi, de quibus, quantum ego quidem novi, nullus eorum cogitavit. Siquidem repetitis vicibus, at hactenus incassum, petii, ut mihi nominetur, si quis eorum eadem ratione in illustranda natura organica principium physico-mechanicum demonstrationi mere theologicae iunxerit, utpote in quo connubio cardo totius de nisu formativo doctrinae versatur.

Si quis autem unice verbis adhaerescens nisum formativum ob vocum affinitatem cum vi plasticā confundit, caveat is, ne eadem ratione eodemque iure calidum innatum veterum, pro eodem cum recentiorum de calore animali decretis habeat (a).

Verum ad alterum disquisitionis argumentum redeamus, unde ipsa primum orta est, vitam, inquam, propriam nonnullarum corporis animalis partium.

---

(a) Et caveant hic quoque BRUNONIANI systematis censores nonnulli, qui veterum *strictum & laxum* cum *sthenia & asthenia* confundere conantur. BRERA.

De vita propria solidis quibusdam corporis  
humani partibus adserenda.

Per innumera scripta perque magnae contentionis disputationes a physiologis toties agitata novimus quaestione, num diversa vitalitatis in solidi vivi partibus similaribus phænomena, ad varias tantum modificationes ut vocant, unius eiusdemque vis vitalis, an vero potius ad distinctas eius species referre conveniat. Similis disceptatio &c inter physicos invaluit, quorum alii physicas materiae vires unice ad attractionem referre studuerunt, alii plures ac diversas esse statuere. Quid quod nec defuerunt egregii physiologi, qui & ipsam vitalitatem attractionis speciem facerent (a).

Alias iam non unam rationem reddidi, quare consultius mihi videatur, plures ab invicem distinctos virium vitalium ordines statuere: quae quidem commode ita mihi constituendae videntur, ut praeter nisum formatum

---

(a) *The attraction of life.* Ita cl. G. FORDYCE on muscular motion in *Philosoph. Transact.* vol. LXXVIII.

givum omni solido vivo communem, reliquas in universales & proprias dispescam. Illorum quidem nomine *contradilitatem* telae mucosae, quam vulgo cellulosam vocant; tum *irritabilitatem* s. vim muscularē; denique *sensibilitatem* s. vim nerveam designo; hos vero *vitae propriae* appellatione comprehendo (a).

Plures vero ex his virium vitalium modis etiam si eos pro diversis ordinibus habeas, nihilominus tamen intimo nexu conspirare, vix monitu opus est, cum v. g. in tot partibus contextus mucosus, basin earum ( simul vero contractilitatis sedem ) constituens, etiam muscularibus fibris, quibus irritabilitas inhaeret, & nervis sensibilitatis organis, intertextus sit.

Immo vero & hoc lubenter concedimus, dari subinde phaenomena, in quibus difficile sit dictu, ad quaniam istarum virium vitalium ea potissimum referas? *ea de otio*

Hoc vero nihilominus rationi aequae ac experientiae consentaneum videtur, ut alia item phaenomena, quae in organis conspicuntur, respectu fabricae & texturae ab omnibus aliis differentibus, & quae actionibus sese manifestant itidem plane singularibus & in suo

BLUMENBACH Opusc. I.

B

---

(a) Vide Opusculum II. sistens: GAUTIER *de irritabilitatis notione, natura & morbis.*

genere unicis, ut haec inquam vitae potius propriae tribuamus, usque donec demonstratum fuerit, tum organorum horum fabricam, tum vitalem eorum agendi rationem ad communium ordines referendam esse.

Minus certe tunc errabimus, quam si eas praepopere uni alterive communium vitalium ordini intruderemus.

Facile exinde patet, quomodo ea, de qua hic agitur, *vita propria* eo quem modo explicavimus sensu differat ab aliis vis vitalis phaenomenis, cum simili nomine insignitis, cum prava interpretatione cum ipsa ista minus recte confusis.

Longissime itaque differt is sensus ab eo, quo cl. WILLDENOW vitae propriae denominatione utitur, cui quippe ea synonymon est omnis vis vitalis in universum (a).

Porro ab eo principio vitali differt, quod ex Io. HUNTERI sententia diversis corporis animalis partibus ita inest, ut & postquam a reliquo corpore divulsae fuerint, aliquamdiu adhuc ipsis inhaerens remaneat, cuiusque ope eadem adhuc recentes denuo sive eidem sive alieno corpori vivo inseri possint (b).

(a) V. Ei. *Grundriss der Kräuterkunde* (Fondamenti di Botanica).

(b) V. Ei. *Natural History of the human Throat*. P. I.

Multo minus vero eam relationem huc pertinere, quae solidum vivum & stimulo in id agentes intercedit, rationem inquam, qua illud, sive pro varietate organorum, sive pro diversitate subiectiva aetatis, sexus, temperamenti, idiosyncrasiae, consuetudinis, vitae generis &c. aliter atque aliter ab his affectatur, hoc quidem per se adeo luculenter patet, ut vix istius irritabilitatis specificae, ut Angli nuperi primo appellarunt, mentionem hic loci iniicerem, nisi, quod equidem miror, ab egregio ceteroquin auctore, expressis verbis istam de qua ago vitam propriam cum hac irritabilitate specifica confusam viderem (a).

Propius sane ab ea vita propria abesse videtur (quantum nempe ex mystico & obscuro auctoris stylo conjectura assequi licet)

## B 2

(a) Est is cl. GAUTIER, qui in *diff. de irritabilitatis notione, natura & morbis*, Halae 1793. edita, non maiori iure vitam propriam cum irritabilitate specifica confundit, quam hanc ipsam sibi vindicare annititur, siquidem vel toto fere lustro ante dissertationis istius editionem cl. BLANE medicus Londinensis celeberrimus eandem relationem quae solida viva & stimulos in ea specifice agentes intercedit, eodem nomine (*— the specific irritability —*) distinxit eiusque in oeconomia animali dignitatem uberioris exposuit. V. Ei. *Lecture on muscular motion* 1788.

vita participans HELMONTII patris (a); omnium proxime autem actio viventium particularis gravis physiologi, Io. de GORTER (b); qui tamen in eo modum longe excessisse videtur, quod tantum non omnibus corporis humani partibus actionem particularem tribuerit, tantum non omnes functiones a totidem particularibus actionibus derivaverit.

Quamquam enim ab una parte sapientissima sit summorum virorum praemonitio, ne nimio simplicitatis & parsimoniae studio in viribus aequae ac materiis elementaribus rerum naturae constituendis & fallamus & fallamus (c); cavendum tamen etiam ab altera parte & in hoc studio ut alias, ne entia quod dicunt, citra necessitatem multiplicentur (d). Ideoque

(a) Cf. v. c. Supplementum operum eius.

(b) V. Ei. Exercitatio medica quinta.

(c) Combien ne voit-on pas des phénomènes, où, avec des ressemblances, il y a des différences! Mais on confond tout cela, sous prétexte de simplifier; comme si la variété des Phénomènes n'indiquoit pas de la variété dans les Causes! Cl. DE LUC.

Ego vero dudum experior, rarissime eas rerum naturalium interpretationes (phaenomenorum physiologorum) firmas esse, quae eleganti simplicitate speciem veri imitantur. HALLER.

(d) Causae rerum naturalium non plures admitti debent, quam quae & verae sint & earum phænomenis explicandis sufficiunt. Ideoque effectum naturalium eiusdem generis eadem assignandae sunt causae, quatenus fieri potest. NEWTON.

(a) non nisi paucis ipsis organis vita propria tri-  
buenda, quae, ut fabrica singulari, ita motu  
& functione tam peculiari & quasi anomala  
a ceteris abhorret, ut hactenus vix ac ne vix  
quidem ex universalium vitalitatis ordinum  
legibus explicari possit.

Ideoque *aut* characteres horum ordinum  
reformare, novosque constituere, limitesque  
eorum proferre oportet, *aut*, donec id fa-  
ctum fuerit, eas peculiares plane functiones,  
quibus ista organa singularia sunt conspicua,  
e universalium virium vitalium ordinibus re-  
movere & vitae propriae denominatione di-  
stinguere liceat.

Exempla eiusmodi partium, quae eo no-  
mine vita propria gaudere dicendae videntur,  
alias excitavi; eamque passim ab acutissimis phy-  
siologis ultro illustratam & ornatam vidimus;  
ut nuperrime adhuc a cl. BRUGMANS exem-  
plio vitalitatis vasorum absorbentium (a).

Unicum ergo coronidis loco in medium  
protulisse, s. potius in lectorum memoriam  
tantum revocasse sufficiat; uteri inquam, tam  
fabrica singulari, quam functionibus suis, prae-  
sertim si eas per diversas animalium classes &  
ordines prosequaris, adeo memorabilis, ut in-

---

(a) V. Cour. Ger. ONTID *diff. de causa absor-  
ptionis per vas a lymphatica* 1795.

star omnium ad illustrandam, de qua agimus,  
vitam propriam inservire possit.

Nolo equidem recoquere quaestionem toties nuperis temporibus & tam diversimode exagitatam, num utero textura musculosa sit, nec ne? Fatebuntur tamen assertores eius, fibras quas in eo supponunt, si quae sunt, certe ab omnibus aliis in universo humano corpore qualitatibus suis mirum quantum abhorrende.

Quod v. g. iisdem sub conditionibus, summa nempe dilatatione, demum visibles fiant, sub quibus alii musculi (v. g. recti abdominis ipsa sub graviditate) ita extenuantur, ut fibrae eorum fere visum fugiant.

Quod porro iisdem sub conditionibus vehementissimum robur exerant, sub quibus alii musculi debilitantur, immo (quod itidem in rectis abdominalibus subinde, videre est) fere paralytici reddantur.

Quod denique non ut alii musculi diuturnae quietis torpore inhabiles fiant, sed tam paucis saltem vicibus per integrum vitae humanae cursum ad partum excitatae, tam violentos nihilominus tunc motus cieant.

Verum quot inquam & quanta alia, praeter enarrata phaenomena plane singularia & in suo genere unica uteri humani functiones exhibent.

Unica haec pars est in statu sano & secundum naturam suam haemorrhagiis periodicis obnoxia.

Una secundum naturam, oestro nempe venereo percita, inflammationis symptomata praebet, adeo, ut & inflammatorum viscerum more, plasticam lympham in cavum suum exsudet, quae caducam s. deciduam crassam formet. Idque etiamsi foetus non in ipso isto cavo, sed in tuba alterutra conceptus fuerit. Quo etiam conceptu extrauterino non obitantere, idem tamen uterus tempore statuto, quando nempe partus instare debebat, etsi vacuus, nihilominus tamen cruciatibus suetis afficitur.

Idem porro ipsius quod modo diximus memorabilis phaenomeni, oestri nempe venerei sedes, aut saltem fons primarius (a).

Et quam mirabilis quaeso, fimbriarum, eodem sub oestro ad ovariorum statuta loca, quibus nempe maturae disruptioni vesiculae GRAAFIANAE inherent, applicatio, iam in muliebri aliorumque mammalium utero admis-

(a) Primum, quantum novi, observante Iac. BERENGARIO quem vulgo, a patria, Carpum vocant, in historia quam de muliere refert cui pater eius ute- rum extirpavit. Post hoc — inquit — semper fuit sanissima exercendo negotia familiaria, cum ea etiam maritus coit; — ipsa tamen nullam habet delectationem in coitu.

randa, maxime vero in avibus, quod quidem quisque fatebitur, qui vel semel gallinae ova ponentis genitalia, praesertim vero infundibuli fimbriati in extremo oviductu ostium, eiusque ad vitellos maturos calycibus suis inhaerentes, habitum & relationem curatius paulo indagavit.

Omnibus his rite pensatis & invicem comparatis moveor, ut utero (miraculo isti naturae ut SWAMMERDAMIUS vocabat), si cui unquam parti corporis animalis, vitam propriam tribuam, veteresque eundem metaphorice quidem, ast non inepte, animal in animanti appellasse censem.





## INDEX OPUSCULORUM

*In hoc primo Volumine recusorum.*



### OPUSCULUM I.

**BLUMENBACH** *De vi vitali sanguini ne-*  
*ganda, vita autem propria*  
*solidis quibusdam corpo-*  
*ris humani partibus ad-*  
*serenda.* pag. 3 - 24

### OPUSCULUM II.

**GAUTIER** *De irritabilitatis notione, natu-*  
*ra, & morbis.* 3 - 200

### OPUSCULUM III.

**OSIANDER** *De caufa insertionis placentae*  
*in uteri orificium, ex novis cir-*  
*ca generationem humanam ob-*  
*servationibus & hypothesibus de-*  
*clarata.* 3 - 32

**O P U S C U L U M   I V .**

**HUBNER** *Commentatio de Caenesihesi.* pag. 3-64

**O P U S C U L U M   V .**

**BRERA** *Memorabilia de plica polonica omni  
aevo observata. Commentatio pri-  
ma cum tabula aenea.*      3 - 57